

- An Deus immensi venias maris, ac tua nautae
 30 Numina sola colant: tibi seruiat ultima Thule:
 Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis:
 Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
 Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes
 Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
 35 Scorpios, & caeli iusta plus parte relinquit.
 Quidquid eris; (nam te nec sperent Tartara regem,
 Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
 Quamvis Elysiis miretur Graecia campos,
 Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
 40 Da facilem cursum, atque audacibus adnue coeptis,
 Ignarosque viae mecum miseratus agrestes
 Ingredere, & votis jam nunc adsuesce vocari.
 Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
 Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit;
 45 Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
 Ingemere, & sulco adtritrus splendescere vomer.
 Illa seges demum votis respondet avari
 Agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit:
 Illius immensae ruperunt horrea messes.
 50 At prius ignotum ferro quam scindimus aequor,
 Ventos, & varium caeli praediscere morem
 Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum:
 Et quid quaeque ferat regio, & quid quaeque recuset.
 Hic segetes, illic veniunt felicius uvae:
 55 Arborei foetus alibi, atque injussa virescunt
 Gramina. Nonne vides, croceos ut Timolus odores,
 India mittis ebur, molles sua thura Sabaei?